

do adoptatus est Christus secundum humanitatem; non antequam esset in utero, quia tunc non erat homo; ergo in utero, vel postquam exivit de utero: ergo in utero non habuit gratiam, vel non fuit adoptatus per gratiam; utrumque est contra rectam theologiam, restat, dicant in utero; hoc, inquit Concilium: « Dici nefas est. »

XVI. Secunda conclusio: Adoptio tributa humanitati Christi damnatur expresse in hoc Concilio, quamvis non dicatur filia. In hac convenit Vazquez, sed est contra Suarium, quatenus contendit, quod in hoc sensu non damnatur adoptio, et est contra scholasticos antiquos supra relatos, qui affirmant humanitatem esse adoptatam. Pro hac conclusione triplex est testimonium in Concilio.

XVII. Primum testimonium in libro sacrosyllabo columna tertia, ubi sic habetur: « De Beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem. » Non indiget ponderatione.

XVIII. Secundum testimonium est in epistola Concilii, etiam columna tertia, ubi sic habetur: « Hoc quod Joannes dixit, vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti a Patre, contra adoptionem carnis facit. » Si verba evangelii faciunt contra adoptionem carnis, adoptio carnis in Christo contra evangelium est, juxta mentum Concilii.

XIX. Tertium testimonium habetur in eadem epistola columna septima sic: « Sequitur in epistola vestra (scilicet Elipandi) nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus, scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est, similes utique in carnis adoptione, non similes in divinitate. » Hæc verba refert Concilium ex Elipando, et impugnat ea, quantum ad duo. Primo, quantum ad illam con-

junctionem: et videbimus dicendo cum Augustino, quod legendum est causaliter quia videbimus, et secundo, quantum ad illud: *In carnis adoptione*, et ideo inquit: « Hujus vero sententiæ, scilicet (nunc filii Dei sumus, etc.) intellectum longe aliter catholici patres exposuerunt; » et tandem concludit contra similitudinem in carnis adoptione: « Quis enim dementissimus dixerit corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? » Ubi similitudinem in carnis adoptione positam ab Elipando, tamquam dementiam excludit.

XX. Ad hoc solum possunt respondere, quod non est idem adoptio carnis, et adoptio humanitatis, et quod solum damnatur adoptio carnis, et non adoptio humanitatis.

XXI. Sed hæc evasio frivola est, quia quando dicitur caro, vel adoptio carnis, intelligitur caro animata, et caro animata est humanitas; tum, quia in illis verbis: *Verbum caro factum est*, ly caro non intelligitur nisi animata, et idem est ac dicere: Homo factum est Verbum; alias esset incidere in errorem dicentium, quod Verbum solum assumpsit corpus et non animam; tum, quia in primo testimonio pro hac conclusione allato, eodem modo affirmatur assumptio, et negatur adoptio carnis; sed in assumptione carnis affirmatur assumptio humanitatis, quia secundum fidem humanitatem assumpsit; ergo negando adoptionem carnis negatur adoptio humanitatis. Quod clare indicatur in eodem libro sacrosyllabo columna nona, ubi sic dicitur: « Non enim ignoramus ex duabus substantiis humanam subsistere naturam, et unum sine alio perfectum non efficere hominem; quid enim est caro sine anima, nisi terra? Quid anima sine carne? Nonne spiritus? Homo enim ex utroque. Vide,

quia redemptor noster perfectum hominem assumpsit: » ubi constat quod nunquam est sermo de carne sola, sed de carne animata, quæ est humanitas; tum denique, quia si humanitas adoptatur, caro adoptatur in illa, quia est passio illius et si caro non adoptatur, neque humanitas adoptatur, quia non stat humanitas sine carne.

## ARTICULUS III.

*Rationibus theologice deductis ex Concilio impugnatur filiatio adoptiva Christi secundum humanitatem, et adoptio humanitatis.*

I. In hoc articulo non intendimus impugnare nisi duos sensus in titulo positos, juxta duas conclusiones articuli præcedentis, quia de istis est controversia his temporibus, et inventa jam veritate lumine fidei per diffinitionem allatam articulo præcedenti, securi incedimus impugnando opinionem contrariam, et ejus falsitatem, et improbabilitatem ostendendo rationibus theologice, quibus Concilium conclusit diffinitionem contra illam. Non possumus omnes adducere, quia excedunt capacitatem materiæ; quinque eligimus pro prima conclusione, quæ principalior est.

II. Prima ratio ad probandum, quod Christus non est filius adoptivus secundum humanitatem, sic ponitur ab Adriano in sua epistola columna quinta: « Nam sicut peccata nostra non tollerent si ipse peccatum haberet; ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit, egerit ut gratiam adoptionis acciperet. » Quæ sic potest formari: Christus meruit nobis adoptionem; ergo non habuit illam. Probatur

consequentia, quia si haberet illam, non posset mereri illam nobis. Quæ consequentia probatur a paritate: Si haberet peccatum, non posset tollere peccata nostra, quod est certum; tum, quia existens in peccato non posset mereri; tum, quia etiam post remissionem peccati illi factam, non haberet virtutem, ut aliis mereretur remissionem peccati, quia de illo judicandum esset, sicut de aliis hominibus, qui peccaverunt juxta doctrinam D. Thomæ 1-2, quæst. cxiv, art. ii.

III. Si dicatur, quod consequentia instatur; tum, quia Christus habuit gratiam habitualement, et tamen illam nobis meruit; tum, quia habuit gratiam prædestinationis, ut questione sequenti dicitur, et tamen meruit prædestinationem nostram

IV. Contra hoc est, quod nostra ratio debet sumi in terminis formalibus sic: Si Christus haberet gratiam adoptionis, deberet habere illam juxta illius naturam, hoc est, gratiose collatam, et non connaturaliter debitam, quæ est essentia adoptionis, ut alia ratione probabitur, et in hoc sensu tenet paritas: Si Christus habuisset peccatum etiam post remissionem illius, non posset mereri nobis de condigno remissionem peccati, sed solum de congruo, quia ille egebat remissione gratiosa sui peccati in illo casu; ideo non poterat mereri de condigno remissionem gratiosam peccatorum nostrorum, sed solum de congruo, scilicet fundato in gratia: ergo si habuit gratiam adoptionis gratiose, non potuit mereri de condigno nobis gratiam adoptionis, sed solum meritum de congruo, sicut alius sanctus.

V. Unde prima instantia deficit, quia Christus non habuit gratiam habitualement gratiose collatam, sed connaturaliter debitam ex vi unio-

nis, ut habet D. Thomas supra quæst. vii, art. xiii, et sic non tenet paritas. Similiter secunda instantia deficit, quia Christus fuit prædestinatus ad filiationem naturalem, et non ad adoptivam (ut quæstione sequenti dicitur) et ideo potuit mereri nobis prædestinationem ad filiationem adoptivam, et si fuisset prædestinatus Christus ad filiationem adoptivam sicut nos, non mereretur illam nobis propter eandem rationem.

VI. Secunda ratio habetur in epistola Concilii columna xiv, ubi dicitur: « In utraque nativitate, filii nomen nascendo haberet, ut esset verus Deus, et verus homo unus Filius, » et præmiserat columna sexta: « Ex Maria magnum Deum appellamus Jesum Christum unigenitum, et primogenitum, non adoptivum. » Quæ sæpe sæpius repetitur in eodem Concilio. Quæ ratio sic formatur: Beata Virgo Maria est mater Dei, et Filii Dei naturalis, ut supponimus, quia in Christo non est alia persona creata, sed solum Persona Filii Dei naturalis; sed non est mater Filii Dei naturalis secundum divinitatem; ergo secundum humanitatem: ergo Filius Virginis etiam ut genitus a Virgine est filius naturalis; ergo secundum humanitatem Christus est Filius Dei naturalis, quia secundum humanitatem est Filius Virginis: concluditur ergo quod secundum humanitatem non est filius adoptivus.

VII. Si dicatur, quod secundum doctrinam D. Thomæ supra quæst. xvi art. xi hæc propositio: Christus secundum quod homo est Deus, magis est neganda, quam concedenda, et consequenter, quod ista erit neganda: Christus secundum humanitatem est Filius Dei naturalis, quia idem est Filius Dei, et Deus, et idem est secundum huma-

nitatem, et in quantum homo; si ly in quantum accipiatur ita, quod reduplicatio cadat supra naturam, in quo sensu loquitur D. Thomas.

VIII. Contra, quia S. Thomas in eodem articulo xi docet, quod si in quantum homo reduplicet supra suppositum, est vera, quia tamen absolute reduplicat supra naturam, docet negandam, sed in nostra ratione ponimus aliquod additum, quod determinat ad suppositum, scilicet ly filius, filius enim non potest accipi pro natura, sed pro supposito, et sensus est, quod filius secundum istam naturam genitus est filius naturalis in ista natura, et quod ista natura est ratio ut filius naturalis sit genitus ab ista matre; filius quidem naturalis non solum matris, sed etiam Dei Patris, ut idem sit Filius Dei Patris, et Virginis matris, et utriusque naturalis, quæ sunt verba Concilii sæpe sæpius repetita. Et sic vis rationis est, secundum humanitatem est Filius naturalis Dei genitus a Virgine: ergo secundum humanitatem habet esse filius naturalis, alias non esset genitus secundum humanitatem Filius Dei naturalis.

IX. Tertia ratio ex libro sacrosyllabo columna septima desumitur, ubi sic habetur: « Adoptivus dicitur, cui nihil a patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur, abusive namque, et non essentialiter adoptivus est filius dicitur. » Hæc ratio formatur sic: Si Christus esset filius adoptivus, nihil ei a Patre adoptante deberetur; sed ipsa gratia, et gloria est debita Christo ratione unionis hypostaticæ; ergo non est locus adoptionis. Patet consequentia, quia adoptivus est cui nihil debetur, et specialiter forma adoptionis est gratia, sed ipsa gratia est debita, ut D. Thomas docet loco allato

prima ratione; ergo adoptio esset debita, quod est implicatio in terminis, quod sit adoptio, et quod sit debita.

X. Si dicatur, quod est debita ratione suppositi, non ratione naturæ, contra. Filiatio non tribuitur naturæ ita ut natura dicatur filia adoptiva, sed suppositum naturæ; ergo si ratione suppositi est debita gratia, excluditur simpliciter quod faciat filium adoptivum; faciet quidem naturam gratam, non filiam. Semper quod dicimus, gratiam esse debitam, vel naturalem Christo, intelligimus ut explicatum est supra quæstione vii. Vide disputationem x supra, articulo tertio.

XI. Quarta ratio est D. Thomæ hic articulo iv in corpore sic: Filiatio est proprietas personalis, sed in Christo non est nisi una Persona increata; ergo filiatio adoptiva non potest dici de Christo. Consequentia patet ex majori, quia ex eo quod filiatio est proprietas personalis, sequitur, quod non possit convenire humanitati; restat ergo quod si convenit, conveniat personæ; sed persona increata non potest esse filius adoptivus; ergo nullo modo Christus potest dici filius adoptivus. Minor probatur: Persona increata est filius naturalis, et convenit illi filiatio naturalis per naturam: ergo non potest illi convenire filiatio adoptiva. Probatur consequentia: Filiatio adoptiva est participata similitudo filiationis naturalis, ut dictum est in articulo tertio in fine corporis, per gratiam, et charitatem, et talis assimilatio perficit rationem adoptionis; ergo cui convenit filiatio naturalis per naturam, non potest convenire filiatio adoptionis per gratiam, et charitatem. Patet consequentia, quia id quod dicitur tale per se et naturaliter, non potest dici tale per participationem.

XII. De hac ratione inquit Vazquez cap. xii, num. lxx, quod ea non est usum Concilium, et quod non convincit de adoptione humanitatis.

XIII. Contra. S. Thomas non intendit excludere adoptionem humanitatis sine filiatione; sed de filiatione adoptiva loquitur, et de illa jam convincit in humanitate, quia filiatio est proprietas personalis, et non potest humanitati convenire. De alia vero adoptione etiam potest applicari ratio D. Thomæ, ut patebit conclusione sequenti.

XIV. Id autem, quod Vazquez dicit Concilium non fuisse usum hæc ratione D. Thomæ, omnino falsum est. Ad ejus evidentiam advertendum est, quod sæpe sæpius Concilium facit hanc consequentiam: In Christo est unica Persona, unus Filius verus Dei, et Virginis, et in utraque substantia, vel in utraque natura verus Filius; ergo non est filius adoptivus, ac si diceret: Persona Christi est filius naturalis; ergo non est filius adoptivus. Restat probare consequentiam, et potest tripliciter probari secundum triplicem proprietatem oppositam utriusque filiationis. Prima filiatio naturalis per naturam habetur; filiatio adoptiva per voluntatem, aut per affectum, vel amorem: secundo filiatio naturalis est vera, et propria filiatio; adoptiva vero est abusive filiatio: tertia vero est filiatio naturalis et talis per se, vel per essentiam, vel essentialiter; adoptiva vero est quædam participatio ejus, et similitudo, et fere hæc tria in idem coincidunt, et sub istis terminis habetur hæc ratio in Concilio, et sub eisdem terminis in D. Thoma in præsentia.

XV. In libro sacrosyllabo columna septima sic habetur: « Adoptivus dicitur, cui nihil a patre adoptante debetur, sed gratis in-